SSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-FORENSIS, 29

DE

ŒTU MORTUO,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

. D. MICHAELE ALBERTI,

MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-
RIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.
AT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DN. DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

ino Patrono ac Promotore suo omni bonoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS,

IISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS,

ANNO MDCCXXIX. D. AUGUST.

Publicæ ac placidæ eruditorum ventilationi subjiciet

HANNES ALBERTUS GEYER,

CRUCENACO-PALATINUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

PIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



PROOEMIUM.

Otus homo admiranda ſane eſt Creatura, in qua quoad ſingulas partes, ad ipſius eſſentiam ſpectantes, imo quoad quemlibet ſtatum, in eadem advertendum, innumeræ obſervationes & meditationes attento animo ſeſe offerunt: etenim quantæ conſiderationes in Pſychoſophia, in corporis ſcrutinio, ſ. Somatologia, in Anthropologia, in varia ætatis, generis, ſexus, educationis, temperamenti, nationis, conſuetudinis &c. ratione & indagine, in æſtimatione & disquiſitione vitæ & mortis, ortus & finis, occurrant, aſſiduo ingenio haud incognitum aſſe poteſt: & quemadmodum juxta *Lactant. Lib. 1. c. ult. Primus Sapientiæ gradus eſt falſa intelligere & vera cognoſcere*, ita hæc ſapientia in hominis ſcrutinio magno ſtudio colenda & inquirenda eſt, quoniam in qualibet medi-

tatione tales respectus occurrunt, in quibus verum pro falso & hoc pro illo haberi & declarari potest: & quid quaeso usitatius est, quam hominem in propria sua causa admodum caecutire & dubitare; siquidem ipsa anima non distincte comprehendit, quaenam ejus sit essentia, quomodo vires suas exerceat &c. quare facilis est lapsus a vero in falsum; ut propterea attenta circumstantiarum animadversio in qualibet disquisitione, hominem concernente, commendanda sit: hinc *Ambrosius Lib. 1. Offic. c. 16.* elocutus est: *in veri investigatione tenendum illud decorum, ut summo studio requiratur quid verum sit: non falsa pro veris ducere, non obscuris vera involvere, non superfluis vel implexis atque ambiguis occupare animum:* nam interdum ob praeoccupationem intellectus, aliquando dolose vera pro falsis, & falsa pro veris proponuntur: id ipsum etiam ex parte in talibus casibus obtingit, in quibus judicia mixta suas deliberationes instituunt, quando videlicet Judices civiles in Consistorialibus & Criminalibus causis de veritate causae Medicorum indagationes, deliberationes & decisiones requirunt: dum interdum vera simulantur & occultantur, & falsa veritatis ornamento induta temere pro genuina veritate offeruntur: quemadmodum nihilominus ob imperfectas, omissas, intricatas & simulatas circumstantias judicium suspendendum sit, & id contingat, quod *Laërtius Lib. IX. p. 617. seq.* refert: *Scepticorum*, inquit, *vox erat:* οὐδὲν ὁρίζομεν: *nihil definimus: unde morbus illis, qui* ἀῤῥεψία *dicitur, quod neutram in partem sententia propensius inclinet,*

insi-

insinuatur: Quam sæpe evenit, ut homines in foro politico res suspectas, malas & falsas variis excusationibus, ambiguitatibus & dubitationibus protegere allaborent, præcipue quando callidi & ingeniosi defensores, varia supponere, dubios aut alios casus interponere & perperam applicare, aut plane personis suspectis & accusatis varia falsa argumenta surrogare aliquando solent, ut judicium forense & civile tali glaucomate obnubilatum, medicorum explorationes expetat, qui quando casus substratos ex vero decernunt, insuperque contrarium evincunt, iniquarum partium & quorundam defensorum aculeos & in rabulistica arte genita verba & judicia experiri debent, quamvis interea verum etiam maneat effatum illud *Salviani Ep. 7. p. 336.* quod *res dubia ac latens melius semper bonis interpretatoribus, quam malis defensoribus credatur:* quam ob rem viris in arte peritis in talibus casibus etiam contra frivolas defensiones creditur, quæ dum interdum huc illuc aliquid in ipsorum etiam medicorum Scriptis primis labris degustant, malo tamen judicio concoquunt & applicant: Est itaque secundum *Aristotelem Lib. 7. Ethic. c. 4. Solutio dubitationis inventio veritatis;* siquidem quilibet eruditus e dubitationibus se extricare studet, quoniam juxta *Senecæ* dicterium *in Ep. 95. nihil turpius dubio & incerto ac timido, pedem modo referente, modo producente:* Et talibus dubitationibus, oblocutionibus, ambiguitatibus ac controversiis non modo homo vivus, sed & mortuus ansam præbet; hinc titulus de *recognitione Mortuorum* in foro publico satis

ſolennis eſt; neque tantum mors hominum annoſiorum, ſed etiam puſillorum, imo plane in matris utero vita orbatorum conditio, ſub examen vocatur: unde ex parte ſub bona interpretatione huc quadrat *Platonis Lib. VII. de Leg.* & *Baſilii homil. XI.* asſertum: *Si ad naturam ſolam reſpicias, nihil eſt homo & nullius pretii, ſi vero ad dignitatem, quam honoratus eſt, magna res eſt homo:* ſiquidem homo tunc æſtimatur, quando frivole perditur; aut ſæpe accidit, ut homines in morte & poſt obitum demum æſtimentur, qui ſub vita naturali haud promerito honore & amore digni habiti fuerant: & licet juxta *Juvenalem Satyra X. v. 372. mors ſola fateatur quantula ſint hominum corpuſcula;* nihilominus ſatis frequenter mors hominum arduis demum momentis & dubitationibus, de iisdem hominibus inſtituendis & reſolvendis anſam præbet: ita diſquiſitio quod ſecundum *Manilium IV. Aſtron. v. 16. Naſcentes moriamur, finisque ab origine pendeat* & phyſicis & medicis varias ſubminiſtrat meditationes: Et quemadmodum mors non modo natu majoribus, ſed & frequentius junioribus familiaris eſt, ita etiam variæ circumſtantiæ mortui pro differentia ætatis annotandæ veniunt: imo ſicut *Lipſius Cent. 1. ad Belg. ep. 5.* dixit: *ad mortem maturi omnes ſumus, ex quo nati, imo etiam antequam nati,* ita in homine, adhuc in utero matris exiſtente, vita æque inſtructo, ac privato, multiplices animadverſiones ſe offerunt: quare varii medici de vita fœtus in utero & ICti de Jure embryonum, (*conf. Wildvogel diſp. de Jure embryonum, Caranza de part. natur. & legit. Cap.*

11. §. 1.

11. ʃ. 1. p. 81. ſeq.) utrique de *fœtu mortuo* variis reſpectibus differunt: quare certe totus homo ad innumeras conſiderationes, varia argumenta ipſo ſuo ſtatu ſubminiſtrat: Et ſi tantum de fœtu humano ſermo inſtituitur, tunc ipſius formatio, vitæ naturalis productio, animatio, vitæ & corporis confirmatio, legitima in utero conſervatio, perfectio & maturatio, integra aut monſtroſa ſtructura, legitima aut illegitima per partum excluſio, maturus, immaturus, præmaturus, difficilis & ſerotinus partus, aut quatenus vivus vel vitalis eſt, quatenus ſanus & firmus, aut imbecillis & ægrotans exiſtit, quatenus vitia conformationis in illo occurrunt, aut integritas & humano ſtatui competens formoſitas in eodem adeſt: alii de morbis fœtus eorumque cauſis differunt: quorundam occupatio verſatur circa mortem embryonis hujusque cauſas atque diverſum modum atque occaſionem, nec non an naturali, an violento modo contigerit, & quidem an violentia ex accidenti, an vero ex malitia & titulo infanticidii derivanda ſit; quidam de ſignis fœtum mortuum, quando adhuc in utero eſt, denotantibus, aut extra uterum in corpore demortui agnoſcendis ſolliciti ſunt, & per tot meditationes multum ſtudium circa hominem, nondum in lucem editum, occupatum probant; quodlibet horum argumentorum peculiarem promeretur diſquiſitionem, e quibus nonnulla Medicis, alia Theologicis, quædam Juridicis uſibus & applicationibus inſerviunt: & quamvis ad hominis formam & eſſentiam anima & corpus in conjunctio-

ctione & mutua relatione ſpectent, fœtus mortuus vero principaliſſima parte, nimirum anima privatus exiſtat, adeoque homo appellari haud queat, *conf. Harprecht Reſponſ. Crimin. Reſpon. 47. n. 12. Ant. Gomez var. reſolut. tom. 3. c. 3. n. 32. Gæddeus in Conſ. Marpurg. Vol. 1. concluſ. 25. n. 39.* tamen Jureconſultus *Julius Paulus in l. 51. quis aliquid 38. ʃ. qui abortionis, (conf. Caranza l. c. c. 1. p. 58. n. 21) hominem appellat fœtum efformatum & animatum*, unde fœtus mortuus antea animatus & quoad partes eſſentiales integer ſupponitur homo, niſi aliquando adhuc corporis firmitas quadantenus deficiat: In tali disquiſitione itaque præſenti Inaugurali ſpecimine nervos noſtros explorabimus, probabimus & de *Fœtu Mortuo* tractabimus. Cui propoſito ut DEus benedictione ſua annuat, mox in limine humillimis votis contendimus.

§. I.

TRactatio de *Fœtu Mortuo mixti* fori eſt, dum *Medici* & *JCti* de illius *utilitate* participant, quam ob rem *neceſſarium* eſſe judicamus, quo præmoneamus, quid *titulus* de *reliqua* explicatione promittat: in *nominali* explicatione haud diu hærebimus, ſiquidem neque Medicis, neque JCtis incognitum eſſe poteſt, quid ſit fœtus mortuus, ſive vita deſtitutus, adeoque *cadaver* in *utero* matris præcipue *vivæ* deliteſcens, aut ex utero excluſus, extractus, exciſus eſt: *Fœtus humanus* itaque eſt conceptus in utero homo, qui a *primis* formationis initiis tendit ad ſuam

matu-

maturitatem & perfectionem, qua legitimo partu in lucem edi poteſt, ſub qua generatione tamen ex *accidenti* variis *offenſis* obnoxius eſt, *quo minus* ad hanc perfectionem pertendere queat; quare aliquando immaturus, aut præmaturus ejicitur, aut plane *antea vita* privatur, quando prius *manifeſtiora* vitæ naturalis ſigna prodidit: vivit itaque propria in utero vita ut *Nymmanus in tr. de vita fœtus in utero* demonſtravit, *conf. Camerarius Syllog. Memorab. Cent. XI. partic. 36. Fœtus in utero non anima matris, ſed propria vita vivit.* unde *Hippocr. in lib. de nat. pueri* fœtum nominat *genituram conſiſtentem*; & *Ariſtoteles lib. 7. de animal. hiſtor. c. 1. ut & Galenus in lib. an animal ſit quod in utero eſt c. 2. 3. ſeq.* fœtum vivum animal, quod per ſe movetur & enutritur, appellarunt, dum contra Stoici, referente *Plutarcho*, fœtum *partem matris* eſſe putant, non animal; quibuscum conſentiunt *Aphrodiſæus*, *Ulpianus*, *Tryphonius*, *Cicero*, *Seneca*, *Quintilianus*, referente *Caranza l. c. cap. 2. p. 66. 67. n. 5.* ex omnium itaque facultatum ſuffragio fœtus eſt *ſpeciale individuum* in aliquo *vivo* ſubjecto comprehenſum, *proprio* & *diſtincto* principio *formante* præditum, & ſpeciali ac *proprio corpore* aut inſtruendum, aut inſtructum: & quamvis ſecundum *nominalem* ſuam derivationem a *fovendo* appelletur, quod *continuo calore uteri, ut pulli incubatu gallinæ, indigeat* juxta *Nymmanum l. c. p. 55.* nihilominus ſub *externo* fomento *propria* virtute œconomiam ſuam *vitalem* inſtituit, & ut plurimum ad perfectionem perducit: eſt vero fœtus in *formali* & eſſentiali ſuo ſignificatu, quando *principium* vitale jam *actu* cum *primo* rudimento, ex quo *integer* homo formandus & efficiendus eſt, conjungitur, ut in uno etiam puncto *anima* & ſeminium *materiale*, ex

quo aliquid corporeum formandum, hæreat: & si hic sensus nimis *strictus* esse videatur, *ampliamus* illum lubenter, ut aliorum desiderio satisfaciamus, & *illum* etiam fœtum nuncupamus, quando jam *corpus*, *humanis* usibus destinatum, aut *ex parte*, aut *plurimum*, aut *integre* efformatum est, hinc appellatur fœtus *quadrimestris*, *quinquemestris* &c. in præsenti tractatione itaque arripimus appellationem fœtus quoad *posteriorem* sensum, in quantum videlicet in eodem respectum *vitæ* & mortis magis *perspicue* conciliare possumus: quamvis medici, qui de *formatione fœtus* disseruerunt, fœtus historiam a *primis conceptionis* mensibus denominare & designare soleant: imprimis vero hoc loco de *tali* fœtu humano sermonem habemus, qui ad *sensum JCtorum animatus* & *vita* præditus dicitur, cujus indagationem in doctrina de *Abortu* & *Infanticidio* observare solent; sicut sensu *medico illius* fœtus etiam reminiscimur, in quo jam *vitæ* processus paulo plenior, completior & *perfectior* adesse solet: etenim licet mox a *primo conceptionis* termino *anima*, aut *principium vitale*, adesse soleat debeatque, (ut propterea *Celeb. D. D. Stahlius in disp. de Abortu & fœtu mortuo c. 2. p. 13.* adserat: *fœtus mox a primo conceptus in utero materno die vita fruitur:*) *conf. Jurispr. Med. D. D. Præsidis Vol. I. Part. l. c. de animatione fœtus*, quod *perfectam* vitam naturalem *maturius* administrare haud potest, nisi *totum* corpus, *omnesque* ad eandem vitam exercendam *idoneæ* partes præsto fuerint, hinc illa anima *prius corpus* format, & pedetentim unum actum & officium post alterum exercet, qui ad œconomiam *completam* vitalem spectat, prout *successive organa* eo pertinentia, formantur; hinc brevi post conceptionem, cum *puncto saliente* motus ille *constrictorius* administratur, qui

mo-

motum cordis ſyſtalticum conſtituit: ob id fœtus *unius* & *proximorum* Menſium non quidem *omnimode vita* deſtitutus, ſed ut *animatus* in vegeta *corporis* formatione *activus* eſt, interim *communi* nomine & acceptione *vivus* appellatur fœtus, qui *medium* geſtationis terminum conſecutus eſt, (*conf. Exc. Stahlius l. c. p. 13. 14. ſuffecerit dixiſſe, quod fœtus intelligatur vivus, recepta loquendi ratione, non niſi ab illo maxime tempore, quo motibus ſenſibilibus ſeſe jam manifeſtare incipit, a medio maxime tempore geſtationis*) ubi *motu* eminentiori & *accremento*, evidentiori ipſe magis inclareſcit; quando itaque fœtus, *talem* vitam *amittit*, dicitur *mortuus*, dum non modo *internæ* & propriæ ſic dictæ functiones *vitales*, ſed & *motus* membrorum *externus* extenſionis & volutationis, ut & *accrementum* & augmentum, ex *ventris* materni *intumeſcentia* accreſcente præſumendum, *evaneſcunt*, proinde etiam *aliæ alterationes* corporis, *emortuali* ſtatui familiares & *eſſentiales* ſuperveniunt: de tali *Fœtu mortuo* nobis agendum erit; minus vero de *Fœtus morte*, *quomodo* hæc contingat, & ex quibus *cauſis* oriatur, licet in tranſitu & prout reliqua tractatio requirit, *nonnullarum* cauſarum mentio injicienda ſit.

§. II.

Hæc tractatio ſicut mixta eſt, ita *duplicem* utilitatem habet, *unam* & *proximiorem*, quam *Medico* foro ſuppeditat, *alteram* & connexam, quam *Juridico* ſubminiſtrat, unde non modo *ſcitu* & commendatu *neceſſaria*, ſed & in applicatione admodum fructuoſa exiſtit: In *Medico* ſtadio 1) hæc diſquiſitio multum lucis affundit doctrinæ de *vita* & *ſanitate* fœtus in utero; nam dum in oppoſito *ſtatum* & *ſigna mortui* embryonis indicat, ita argumentatio

 valet

valet ad *contrarietatem* ; hinc de vita & ſanitate fœtus medici *certius* judicium ferre poſſunt: 2) ex hac conſideratione medici *indirecte* argumentari diſcunt, ad ſtatum fœminarum *morboſum*, qui fœtus *geſtationem* in utero interdum *æmulari* poteſt: an videlicet fœtus *vivus*, an mortuus adſit, an præſentia indicia a *morbo* quodam *intricato* proveniant: 3) ob id medicus *certus* redditur, *quo auxilia* ſua dirigere debeat, ne forte *hydropem* & *tympanitidem* profligare ſuſcipiat, ubi *fœtus* præſto eſt, neve pro mortuo vivum æſtimet tractetque fœtum, & viceverſa, adeoque eximium *errorem*, famæ & dexteritati ſuæ valde ignominioſum, committat: 4) illuſtrat hæc animadverſio proceſſum *generationis* & *partus humani*, dum videlicet *varia* ſigna occurrunt, quæ *differentiam* mortui & vivi fœtus indicant: 5) unde etiam medicus in *prognoſi* formanda certus redditur, quid videlicet ratione *geſtationis* & *partus* ſperandum aut metuendum veniat: 6) confirmatur & illuſtratur porro hac tractatione *commercium* & *connexio* animæ & vitæ *matris* cum *fœtu*, hujusque *variis* operationibus 7) ſeorſim vero hæc disquiſitio inſtruit medicum, quo *mortuo* fœtui haud *diu moram* in utero concedat, ne *graviora* inde matri immineant damna & pericula: 8) porro etiam reddit medicum circumſpectum, ne *debilem* pro mortuo habeat tractetque fœtum, neve 9) ex *uno* & *altero*, aut plane 10) *ambiguo* ſigno *mortuum* fœtum dijudicet, ſed potius *plura* aut *plurima*, & quidem *fide digna* colligat & conciliet indicia, quando judicium accuratum ferre cogitat: 11) aſſequitur etiam judicioſus medicus occaſionem, inquirendi in *naturas mulierum*, an ex iisdem quidquam accedat, *unde* fœtus *vita*

priva-

privatur, ſiquidem aliquando fæminæ occurrunt, quæ ob magnam *debilitatem*, aut *perſonalem averſionem* in *generationis* negotio obviam, aut frequentes *abortus* experiuntur, aut *iterata* vice *mortuum* fœtum pariunt, de quibus aliæ dicunt: Sie könnten kein lebendig Kind zur Welt bringen: 12) denique hæc explicatio in *genere* hiſtoriam *phyſico-medicam Vitæ* & *Mortis* amplificat & illuſtrat, dum in hominibus *ante* & *poſt* nativitatem *peculiaria*, quoad utrumque ſtatum, ſigna & momenta attentioni & deductioni ſe offerunt: Præter hoſce uſus, alii adhuc *Judiciis civilibus* & *criminalibus* accedunt, ad quos ſtabiliendos & confirmandos Medici ſuis deciſionibus ſuccurrere debent: etenim *primo* hæc tractatio in inquiſitione *Abortus* aliquam opem confert, an videlicet *ante* abactionem fœtus ejectus *vita* præditus, an vero viciſſim *nunquam* tali vita inſtructus fuerit, id quod v. g. ex *exſiccatione*, aut *nimia* putrefactione, aut *ſeparata* membrorum fœtus excluſione &c. inclareſcit: deinde an embryo *proxime* ante abactionem *vivus* & comparate *ſanus* fuerit, ut *aliquo* modo colligendum ſit, quod ipſe *vim* quandam ſive per pocula & *remedia abactionem* promoventia, ſive per *manum*, ſive *aliunde* paſſus fuerit: an in *abortu* partim, in *fœtus* corpuſculo talia ſigna conſpicua ſint, partim ſuſpecta fœmina de ſe & *ſui corporis* ſtatu *talia* indicia producere poſſit, unde colligere liceat, fœtum ob mortem, *naturali* modo perpeſſam, talem *præmaturam* ejectionem ſubiiſſe: deinde hæc tractatio præcipuam utilitatem eruendi *veritatem* confert in ſuſpicione commiſſi *infanticidii*, quando communiter *ſuſpectæ* fœminæ eo confugiunt, ut *natum* infantem, *mortuum* in lucem editum, adeo-

 que

que *ante* partum ex *alia* cauſa, ſine adhibita *violentia* vita *privatum* fuiſſe indicent & perhibeant: hinc de *corpore delicti* & ex *aliis* collatis circumſtantiis medici inquirere & renunciare debent, an *mortuus* hic fuerit fœtus in utero *ante* partum, an *ſub partu* ipſi vis illata fuerit, an *poſt* partum demum occiſus ſit: quamobrem vera & *ſolida ſigna* & argumenta proferri debent, quæ hanc quæſtionem legalem rite & fundate decidere poſſunt: quibus ſignis deinde judices ſecure innituntur & proceſſum inquiſitionalem meliori & citiori ſucceſſu proſequuntur: & quamvis de fœtu, *nondum* in lucem edito, *JCti* non multa dijudicare volunt & poſſunt, nedum quidem illum *æſtimandum* eſſe aſſerunt. *vid. Caranza l. c. cap. 2. n. 12. & c. 2. ſſ. 1. p. 81. ſeq.* Medici tamen de tali fœtu, etiam nondum per *partum* nato, multa aſſeverare, proinde etiam de fœtu mortuo, an videlicet *vivus*, an *debilis*, an *mortuus* ſit, multa etiam indicare & judicare poſſunt, quibus judiciis propterea *JCtorum* labores *allevare* debent.

§. III.

Proximum nunc eſt ut ipſa *Signa* fœtum *mortuum* annotantia proponamus, quorum aliqua utique *ambigua* ſunt, ſed ſi cum *aliis* recte *conciliantur* & *circumſpecte* applicantur, omnino fœtum mortuum probant & *teſtantur*: ex hiſce ſignis quædam in *Matre* occurrunt annotanda, alia in *Fœtu* nato: interim ſub inquiſitione *ſuſpectarum* fœminarum, ipſæmet fæminæ *ſponte* & *tempeſtive* talia indicia recenſere debent, antequam ipſis aliunde *clanculum* talia in aures dicantur & ſuppeditentur, ſiquidem *interdum* minus juſti & ingenui defenſores *ſibi* & *fæminæ* cognita reddere & ad eadem provocare ſolent: aut interdum ad manifeſtan-

ſtandam *fraudem* & malitiam fœminæ, judices haſce explorare & nonnulla *falſa* indicia recenſere, inſuperque *ſuſpectam* fœminam *exquirere* poſſunt, an non hoc aut illud obſervarint, quod ſi *affirmaverint*, facile *dolum* ſuum produnt: Talia Signa ſunt 1) *motus nullus* in fœtu percipitur, qui tamen *antea* adhuc obſervari potuit, præcipue ſi hæc privatio motus *aliquandiu* durat, neque ullis *auxiliis* internis & externis *roborantibus* & ventrem placide *foventibus* & modice calefacientibus *excitari* poteſt: hoc ſignum velut *principale* ordine primo *Rod. a Caſtro de Morb. Mul. Lib. 4. c. 2. Sennertus Lib. 4. Part. 2. Sect. 6. c. 7. & ex hoc Ettmüllerus in Prax. de Morb. infant. cap. de fœtu mortuo* proferunt. *vid. Stahlius in diſp. de abortu & fœtu mortuo p. 14. 15. Volter* Hebammen Buch *P. 1. c. 27. p. 74. 75. Mauriceau* Schwangerer und Greiſtenden Hülffs Mittel *P. 2. c. 12. p. 327. Riverius* annotante *Boneto in Polyalth. Lib. V. de affect. mulier. c. 26. p. 348.* aſſerit: *cognoſcitur fœtus mortuus, quando motus illius ceſſat, quem prius in utero aut mater ipſa ſentiebat, aut obſtetrix percipiebat admota manu, aut aliis rebus tepentibus & roborantibus, quibus illius vis ſopita ſolet exſuſcitari: Mauriceau de generatione & partu hominis Lib. 3. c. 7.* dicit: *certiſſimum ſignum vitæ fœtus in utero eſt, ſi mater motum ipſius ſentit: conf.* Breßl. Geſch. 8. Verſ. *p. 732. circ. fin. Riedlinus Lin. Med. An. 4. obſ. 31. p. 436. Barbette Chirurg. lib. 1. c. 23. Muſitanus de Morb. Mul. c. 13. p. 487. Bohnius diſſ. de Infanticid. Lommius obſerv. medic.* ubi *de Signis emortui in utero fœtus* agit: *Dolæus Encyclop. Med. Lib. 5. c. 7. Schenck. lib. 4. de fœt. obſ. 5. Foreſtus lib. 28. obſ. 76. in Schol.* hinc *Bartholinus* experimentum commendat *Cent. 5. hiſt. 78. an fœtus mortuus vel vivus eſſet, experimen-*

tum

tum fieri jussit Jo. Dom. Sala, *manu aqua frigida madida*, *ventrique imposita: quo facto fœtus deprehendebatur vivus*, *ob motum*, *quo noxium sibi ex imposita manu frigus evitare conabatur* & *Fr. Joel lib. 8. Pract. Sect. 4. c. 4.* referente *Boneto l. c.* ordinat: *Si prægnans ambas manus in calentem aquam imponat*, *in eaque aliquandiu teneat*, *fœtumque non sentiat*, *mortuum esse docet:* omnia hæc suffragia *motum* præcipue fœtus concernunt: quamvis *Mauriceau l. ult. cit.* causas & casus etiam alleget, ubi *aliquandiu* motus fœtus in utero *perceptus haud* fuit & tamen fœtus *vita* præditus postea in lucem editus fuit: quæ circumstantiæ itaque *circumspectum* reddere debent medicum in judicando, ut videlicet inquirat, an hæc *quies* embryonis provenerit a *nimia* sanguinis copia molestante, a *debilitate* fœtus, a *præmatura aquæ* emanatione ex utero, a præmatura *sanguinis* effluxione, aut alia *Hæmorrhagia* perpessa 2) quando abdomen *nimis laxum*, *flaccidum*, *rugosum*, aut simul *lividum* delabitur & *descendit*, cum insolito sensu valde molesti & *aggravantis* ponderis: quem delapsum etiam *Riverius* & *Mauriceau* annotant: & quamvis proxime *circa partus* terminum, una alterave septimana *ante* ipsum venter etiam versus *femora* & in *inguinalem* regionem magis descendere soleat, attamen hic descensus a *priori discrepat*, quod *non tam* insignis, neque adeo ponderosus & molestus, neque venter adeo flaccidus & rugosus sit, uti in illo signo esse solet, ubi fœtus *mortuus* existit: & hæc procidentia abdominis *irregularem* decubitum habet, ut nunc *antrorsum*, nunc *lateraliter*, nunc *quaquaversum*, decumbat & pro *diverso* decubitu atque situ immutetur, hinc 3) utplurimum contingit *moles* hæc tumida & *flaccida* in *quodcunque* latus de-

cum-

cumbens fæmina ſe volvat, eo *ponderoſo* quodam niſu *delabatur*, hocque modo a *legitimo* graviditatis ſtatu eximiam *diſcrepantiam* teſtetur: quod ſignum plurimi medici allegare ſolent, velut *Hippocr. de ſuperfœt. Vid. Vidius lib. XI. c. 32. p. 729. Roder. a Caſtro, Riverius, Sennertus, Mauriceau, Riedlinus, Ettmüllerus, Lommius obſerv. med. lib. 2. Pfizzer de Morb. Mulier. lib. 2. P. 6. c. 3. Moræus de febr. Malign. paroxyſm. c. 16. Paræus Chirurg. lib. 23. c. 25. Schellhammerus in A. N. C. dec. 3. an. 2. obſ. 89. Baglivus Opp. L. 2. c. 8. p. 198. Stahlius, Volter* Hebammen Buch *P. 1. c. 17. p. 41. Mauriceau* ſchwang und greiſt. Hülffs Mittel *P. 2. c. 12. p. 327. Barbette l. c. Muſitanus l. c.* dicit: *decumbente fæmina in latus, in id devolvitur etiam infans, velut immobile quoddam ſaxum; ſed & mortuus jam ponderoſior eſt matri, quia facultatibus, quibus antea regebatur, non ſuſtinetur. Lommius l. c.* ſignis mortui fœtus annumerat: *ſi venter gravis eſt & quaſi procidere velle videtur, nihiloque ſecius ac ſi hydrope urgeretur, intumeſcit, diſtenditurque & cadaveris pondere oneratur: Dolæus l. c. Horat. Augenius de hom. part. l. 2. c. 23. Bonetus Sepulchr. An. L. 3. Sect. 38. p. 110.* Cum hoc indicio cohæret 4) *flacceſcentia* ſuſpecta & *rugoſitas abdominis*, quod plerumque quando fœtus *vivus* eſt, *extenſum* & firmum atque rigidum comparet, nunc vero *ſuſpecta* hæc *laxitas* ominoſum ſignum eſt & eximiam *alterationem* prodit, quando vero *ad latus* quoddam ſe ſe volvit fæmina, tunc in illo latere, cui incumbit, *extenſio* inſolita, inſtar *veſicæ* cum aqua impletæ, conſpicitur, conf. *Mauriceau l. c.* ſicut etiam illam *rugoſam* & *flaccidam* ventris delapſionem *Guldenklee Lib. 4. caſ. 26.* ſub ſigno *ſubſidentiæ ventris* allegat.

C §. IV.

§. IV.

Hisce signis, in matre gravida obviis, annumerari debet, porro 5) *Mammarum flaccescentia* pendula, *extenuatio*, manatio aut *effluxio* ex illis *liquaminis* turbulenti *flavescentis* & tandem illarum *exarescentia*, aut eminentia magis conspicua *venarum* quadantenus *inflatarum* & cum sanguine *nigricante* oppletarum, aut *lac* quod *antea* in *mammis* observatum fuit, nunc *evanescit* & exarescit; quod signum producunt *Hipp. Lib. 1. de Morb. Mulier. Riverius, Rod. a Castro, Vid. Vidius Lib. XI. de curat. membr. c. 32. p. 729. Schenck. lib. 4. de fœt. obs. 5. Sennertus, Musitanus, Stahlius, Waldschmid. Prax. L. 2. cas. 24. Barbette, Guldenklee, Mauriceau, Philipp. Feu in Praxi subveniendi Parturientibus Lib. 1. Ettmüllerus, Dolæus l. c.* aliique multi; accedit simul 6) *faciei* & *labiorum pallor* & *extenuatio*, imo aliquando suspectus & *transitorius rubor*, mox cum ominosa *impallescentia alternans*, aut etiam insolitus & *confusus* rubor & color in facie & genis, una cum *oculorum perturbatione*, obscuritate, *torvo*, *anxio*, meticuloso, austero & in genere *inconsueto* statu, cum *insolito livore palpebram* inferiorem circumducente, ut & *palpebrarum livida* & tumidula inflatione, imo *totius faciei* color *lividus* & pravus evadit: in *visu* obtingit aliqualis *obscuritas*, oculi quadantenus *excavantur* & in orbitam concidunt: qualia signa allegant *Riverius, Rod. a Castro, Sennertus, Forestus, Lommius, Musitanus, Waldschmidius, Guldenklee, Barbette, Mauriceau, Ettmüllerus, Bonetus, Horstius observ. medic. sing. Part. 2. Lib. 1. p. 69. sub titulo fœtus mortuus propriis signis deprehensus, Dolæus, Vid. Vidius Lib. XI. de curat. membr. c. 32. p. 729. Volter* Hebammen-Buch *P.*

1. c.

1. c. 17. p. 40. Riedlinus loc. citatis: 7) aliud ſigum eſt, quando gravidæ non modo *inſolito* & *ſuſpecto horrore mox poſt* obitum fœtus in utero percelluntur, ſed & poſtea magis tam in *extremitatibus* corporis, quam in *lumbis*, *genitalibus*, *naribus*, *auriculis* frigidæ ſunt, imo in *abdomine* aliquando *tranſitorium* ominoſum *frigus* ſentiunt, id quod *tonum* partium & *progreſſum* humorum valde alteratum indicat; cujus ſigni *mortuum* fœtum denotantis teſtes ſunt, *Riverius*, *Rod. a Caſtro*, *Sennertus*, *Lommius*, *Salmuth. Cent. 2. obſ. 69. Horſtius l. c. Dolæus*, *Vidus Vidius Lib. XI. de Curat. membr. c. 32. p. 729. A. N. C. Dec. 1. an. 7. obſ. 13. Baglivus l. c. Riedlinus cur. med. 125. p. 74. Foreſtus l. c. Stahlius l. c. p. 15. Volter* in Hebammen Buch *P. 1. c. 17. p. 40. c. 27. p. 75. Muſitanus*, *Guldenklee*, *Barbette*, *Bonettus*, *Waldſchmidius*, *Ettmüllerus:* 8) fæminis *mortuum* fœtum geſtantibus, imminet frequens *animi deliquium*, internus inſolitus *angor*, *triſtitia*, *abjectio* & *puſillanimitas*, *levis melancholia*, ut fæminæ quandoque ad *illacrymationem* moveantur, mensque tota *immutata* & eximie afflicta compareat: id quod teſtantur *Rod. a Caſtro*, *Bonettus* cum *Fr. Joel*, *Sennertus*, *Lommius*, *Stahlius*, *Vid. Vidius*, *Horſtius*, *Guldenklee*, *Barbette*, *Muſitanus*, *Waldſchmied*, *Ettmullerus*, *Dolæus*, *Mauriceau in utrisque l. c.* 9) *cordis pulſus* admodum *irregularis* occurrit, utplurimum *debilis*, *tardus*, *durus*, inordinatus, quandoque oppreſſus & *palpitans*, cum quo interdum *intercuſſantes horripilationes*, aliquando anguſtantes *phlogoſes* alternant; quandoque ſupervenit *tremor* cordis & membrorum, utplurimum frequens *perturbatio pulſus* occurrit, quod ſignum confirmant *Vid. Vidius*, *Barbette*, *Guldenklee*, *Waldſchmied*,

Ettmullerus, *Dolæus*: 10) experiuntur etiam tales gravidæ utplurimum *inſomnia anxia* & *terribilia*, unde aliquoties cum *angore* & *tremore* expergefiunt, ut non facile animum quietare poſſint, ſed aliquandiu in *animo* & *corpore* eximium *torporem* experiantur: hujus ſigni teſtes producimus *Rod. a Caſtro*, *Vid. Vidium* & *Muſitanum*: 11) *appetitus* in talibus fæminis eſt *corruptus*, imminutus, *vagus*, aut ut medici exprimunt, adeſt *anorexia* notante *Rod. a Caſtro*, *Muſitano*, *Stahlio*, *Volter*: 12) aliquando affligit *ventriculi dolor*, *morſus*, *ardor*, *anguſtia*, *præcordialis*, conſentientibus *Lommio*, *Sennerto*, *Horſtio*, *Guldenklee*, *Ettmullero*, *Stahlio*: 13) accedit inſolitus *capitis dolor* gravativus, temulentus & interdum in ſoporem inclinans, vid. *Vid. Vidius*, *Foreſtus l. c. obſ. 78. in ſchol.* *Sennertus*, *Horſtius*, *Ettmüllerus*, *Stahlius*, *Barbette*, qui tamen ſtatus *periculoſior* eſt, quem *Foreſtus* loc. modo citato fuſius deſcribit: 14) corripit interdum inſolita *ſitis* & *ſiccitas* moleſta *faucium*, *conf. Rod. a Caſtro* & ex eodem *Muſitanus*, *Vid. Vidius*: 15) quandoque graves & moleſtæ *vigiliæ* concurrunt. vid. *Lommius* 16) aut *maculæ lividæ* ſuſpectæ in peripheria effloreſcunt: 17) percipitur inſolitus *membrorum languor* aut torpor, gravitas & *virium defectus* valde ſuſpectus: *vid. Rod. a Caſtro* & ex hoc *Muſitanus*, *Vid. Vidius l. c. Riedlinus Cur. Med. 125.* 18) ſupervenit nonnunquam *febris anomala* & confuſa, hac *ſua* qualitate *eximiam* alterationem, quæ in gravida obtigit, denotans, vid. *Platerus Prax. L. 1. c. 9. Bonetus Sepulchr. anat. l. c. ſ. 5. Ettmullerus*, *Dolæus*: 19) interdum plane confuſiones mentis ſive *deliria tranſitoria* obtingunt, notante *Ettmullero*: 20) nonnunquam *confuſi alvi fluxus*

obo-

oboriuntur, qui motus ad *partum* ſpectantes aliquando provocant, qui *poſteriores* tamen facile iterum *ceſſant*,& præſentem ſtatum *ſuſpectum* ac turbulentum exhibent; qualem caſum allegat *Riedlinus*, quid quod *Barbette* commemorat, quod fæminæ *mortuum* fœtum geſtantes, *fæces tenues* excernant, adeoque *alvum laxam* experiantur: quando corruptio aut putredo ex *mortuo fœtu* in *uteri* ſubſtantiam, indeque in *inteſtina* tranſiit, tunc *fluor alvi fœtidus* obſervatus fuit. *conf. Horat. Augenius de part. hom. L. 2. c. 23. Boneti Sepulchretum Anatom. Lib. 3. Sect. 38. obſ. 6. ſ. 2. p. 110.*

§. V.

Præter *multa* hæc ſigna, dantur adhuc *quædam*, quorum paucis mentionem facere lubet, & quidem 21) *varii* motus & conatus *partum* mentientes, ſed facile iterum *evaneſcentes* & fæminas tantum affligentes, quos interdum medici pro *colicis* tormentis habent, *vid. Borgeſia obſervat. Lib. 2. p. 20. Bonetus in Sepulchr. anat. l. c. ſ. 6.* & tales motus valde fæminas *enervant* totumque ſtatum confuſum & intricatum reddunt *conf. Riedlinus l. c. Ettmullerus:* 22) frequentius fæminæ *teneſmum*, *ſtranguriam* & varia incommoda quoad *liberam* excretionem *urinæ* experiuntur, quoniam *moles uteri* cum mortuo *fœtu*, cujus *n. 3.* mentio facta fuit, tam *veſicam* urinariam, quam inteſtinum *rectum* aggravat & moleſte afficit; tales moleſtias mortuum fœtum comitantes, referunt *Muſitanus*, *Guldenklee*, *Baglivus Lib. 2. Opp. Pr. c. 8.* ubi ad *Cœlium Aurelianum* provocat *cap. de fœtu mort. Volter. l. c. p. 41.* 23) aliqui annumerant *inſolitum* & *ſubito* obtingentem *oris* & *narium fœtorem*, cum oſcitatione crebra, quæ præcipue

contingit, quando jam fœtus in utero *putrescit*, *excretiones* necessariæ *perturbatæ* imminutæ & oppressæ sunt, & per hasce aliasque causas accelerata & magna sanguinis *dyscrasia* provocatur; hujus signi reminiscuntur, *Vidus Vidius*, *Baglivus*, *Mauriceau*, *Ettmullerus*, *Musitanus*, *Rod. a Castro*, *Lommius*, *Barbette*, *Waldschmied*, *Horstius*, *Riverius*, *Bonetus in Polyalth. Volter.* 24) ordinariæ *evacuationes* semper sunt *perturbatæ*, & quandoque *imminutæ* & *suppressæ*: corripit aliquando *alvi retentio*, *urinæ difficilis* excretio, *cutis* est *stricta* & *arida*; cum qua alteratione *variæ* aliæ *morbosæ* afflictiones *celeri* progressu se connectunt. 25) aliquando accidunt *peculiares*, insoliti, vehementes & admirandi *spastici* & *convulsivi* motus, qui facile *incantamentis* adscribi possent, quando hæc tragœdia medicis *haud* cognita est: talem concursum ejusmodi motuum testantur *Rod. a Castro*, *Lommius*, *Horstius*, *Vid. Vidius*, *Sennertus*, *Musitanus*, *Waldschmied*, *Ettmullerus*, *Mauriceau* schwang. u. greifs. Hülffs-Mittel *P. 2. c. 12. p. 327.* 26) quando ex utero antea *aqua* effluxit, conatus ad *partum* coincidunt, hi vero iterum plane *cessant*, & *alia* ex *prædictis* ominosis signis conjunguntur, notantibus *Platero* l. c. qui dicit: *fit etiam ut canatus pariendi, eo tempore sese manifestent, mulierque paritura videatur, & ad partum ab obstetrice disponatur aquaque jam, sicuti ante partum fieri solet, effluxerit, sed his omnibus rursus cessantibus atque evanescentibus, nullus partus sequatur, & nisi denuo hæc redeant, uti aliquando fit fœtus extinctus nunc in utero, nunc extra illum hæret* &c. conf. *Mauriceau*, *Horat. Augenius l. c. Bonetus Sepulchr. Anat. L. 3. Sect. 38. obs. 4. §. 2. p. 112.* 27) quando jam mortuus in *putrilagi-*

nem

nem abit, tunc ex *utero* effluit liquamen *fœtidum* & *putridum*, *vid. Rod. a Castro*, *Riverius*, *Schenck. lib. 4. de fæt. obs. 5. Sennertus*, *Dolæus*, *Bonetus in Polyalth. Musitanus*, *Waldschmied*, *Ettmullerus*, *Mauriceau*, *Ammanni Medic. Critic. p. 534.* interim hic ultimus author in suis aphorismis, *aphor. 159.* cautelam quoad hanc circumstantiam subministrat, dum dicit: *fœtida & cadaverosa ex utero fluxio, non semper certum est indicium, quod illico contentus fœtus mortuus sit; nam hujus conditionis excretio a congrumato sanguine quidem provenire potest, qui nimis diu ibidem detentus fuit;* quam ob rem quoad hoc signum circumspectio adhibenda est, an forte hæc *fœtida* profusio ab *alia* causa originem traxerit: 28) proinde fœtus *mortui partus* utplurimum *difficilis*, *laboriosus*, tardus confusus est, ut vel diu motus eo pertinentes *deficiant*, vel modo invadant, sed *incongrue* & cum *suspectorum* signorum concursu irruant, mox iterum *cessent*, & totum partus processum *turbulentum* reddant; hinc non modo *tardius* ipse succedit, sed & aliquoties parientibus *funestus* est, id quod plurimi hactenus allegatorum authorum in *Prognostica* fœtus mortui tractatione testantur; ita etiam plurimi illorum *difficultatem* illius partus comprobant, v. g. *Ettmullerus de causis partus difficilis. Stahlius l. c. p. 16. Musitanus l. c. c. 14. Forestus obs. med. lib. 28. obs. 76. in schol. Sennertus l. c. de causis partus diffic. ex rat. fœtus. Volter l. c. c. 6. p. 15. Mauriceau* der schwangern und greissenden Weibs-Personen allerbeste Hülffs-Leistung *Part. 2. c. 10. p. 308. Horstius*, *Mauriceau in aphor. 161. Waldschmied l. c. Bonetus sepulchr. anat. l. c. p. 110; Bohnius de infanticid. vid. ejus renunciat. vulnerum p. 171.* ubi hæc extant

tant verba: *de cætero tunc mortuum enixam fuisse non inepte augurantur, si sub difficili partu hoc contigerit &c.* *Riedlinus Lin. Med. An. 4. Mens. Julio obs. 8. p. 559. seq. Ettmullerus l. c. in prognosi. Forestus l. c. obs. 76. & 78.* & *Amat. Lusitanus Cent. 2. cur. 27.* allegat casum, *de partu difficili & morte parturiente ob gemellos in utero mortuos:* raro itaque contingit, ut fœtus mortuus *prompte* per *partum* excludatur, quale exemplum commemorant *Riedlinus loco modo cit. Hagendornius Cent. 3. hist. 10.* imo *rarum* est, quod *fœtus salvis* matribus in utero *moriantur*, & quod *tamdiu* in utero fœtus mortuus detineri queat; qualia exempla passim recensentur, ex quibus pauca allegasse suffecerit: *vid. Nymmanus de vita fœtus in utero p. 24. seq.* ubi alii authores commemorantur, *Hildanus Cent. 2. obs. 51. Marcell. Donat. Lib. 4. c. 22. Schenkius de fœt. lib. 4. Bonetus Polyalth. Wolf. Lect. memor. Tom. 2. p. 601. A. E. L. An. 1695. Mens. Januar. p. 32. A. N. C. dec. 2. an. 9. obs. 107. Dec. 1. an. 7. obs. 13. Bartholinus Cent. 1. hist. 12. & de insolit. part. hum. viis. Sennertus l. c. in Prognosi. de Fœtu mortuo matri minus molesto. vid. Riedlinus Curat. med. 870.* 29) quando *aliquandiu ante* partum fœtus mortuus est, tunc *lochia pauca, pallida* & *fœtida* effluunt, imo aliquando plane supprimuntur *vid. A. N. C. Dec. 1. an. 6. obs. 13.* interim si *brevius ante* partum fœtus *vita privatus* fuerit, nihilominus *lochia fluere* solent, *conf.* Breßl Gesch. 8. Vers. *p. 729. seq.* 30) interdum *ante fœtus* exclusionem, *secundinæ præmature* excernuntur, *vid. Rod. a Castro, Riverius, Sennertus, Musitanus, Bonetus, Barbette, Ettmullerus,* vel etiam. 31) contrario modo secundinæ *post editum* mortuum fœtum *diutius* retinentur, & *partus difficulta-*

tem

rem adaugent, ſicut 32) poſt fœtus mortui partum fæminæ utplurimum valde *enervatæ*, & multis *morboſis* ac periculoſis *conſectariis* obnoxiæ ſunt, ut ſunt *ſyncoptico-cardialgici convulſivi* affectus, *epilepſiæ*, dolores, *deliria, febres* (*vid. Spindlerus obſ. 76.*) *Cachexia* (*conf. Horſt. l. c. Part. 2. Lib. 1. obſ. 20.*) & multa *alia* pathemata, ut tam facile & cito poſt talem partum ejusmodi fæminæ ſeſe haud colligant & ad qualecunque *virium robur* deveniant, quo tam Medici, quam *JCti* ſollicite & attente inquirere & advertere debent: 33) quidam hiſce ſignis annumerant *dolorem* inconſuetum & ſuſpectum circa *umbilicum*, ut *Foreſtus obſ. med. lib. 28. obſ. 76. ſchol. Rod. a Caſtr. Lommius Muſitanus*, nec non 34) *inflationem* abdominis, ut *Riverius* & *Bonetus*, aut *tumorem* inferioris ventris, fere *repente* ſubortum, ut *Vidus Vidius*: Et hæc ſunt indicia, quæ in fæmina annotanda ſunt, quæ *mortuum* fœtum peperiſſe aſſerit: Quo loco adhuc *Illuſtris Stahlii loc. c. p. 15. 16.* verba allegamus: *ubi fœtus admodum grandis repente interit, imprimis autem ſub ipſo partu, inhorreſcit fœmina, ut etiam febrili frigore & horrore correpta videatur, vires corporis & animi fatiſcunt, velut in momenta, ſuccedunt anxietates, vertigines, lipothymiæ, dolores ad partum rari, debiles, breves revertuntur, imo vel plane evaneſcunt; imprimis autem refrigeſcit communiter magnopere regio infima abdominis ſupra pubem & nullus amplius ſenſus cujuscunque motus fœtus percipitur; imo vero magis magisque non corpore ſolum, ſed omnino animus langueſcens fœmina, ſuæ quoque mortis ſubinde metum, nonnimium rarum etiam eventum ſubit.*

§. VI.

Proxima nunc excipit consideratio, quae *Signa* in *Foetu* ipso, de cujus *vita* & *morte* adhuc ambigitur, complectitur, ubi *quaedam* occurrunt, quando embryo *una alterave* septimana ante partum, aut quando *proximius* ante illum, aut quando *sub eodem* mortuus est: Quoad *primam* circumstantiam notandum, quod 1) foetus toto suo corpore *frigidus* existat, in quo jam diu *motus sanguinis* & connexus *calor* naturalis expiravit, ubi etiam ob varias *alterationes* motus progressivi ab utero *sufficiens* calor eidem communicari haud potuit, quod signum *Bohnius dissert. de Infanticid. Zittmannus in Med. Critic. Cent. 3. Cas. 90. p. 834. Vaterus disp. de infanticidii imputati signis diagnosticis thes. 10. Mauriceau* schwang. und greist. Hülfs-M. *P. 2. c. 12. p. 327.* proferunt: si vero *brevi ante* partum, aut *sub partu* embryo mortuus est, tunc adhuc *quadantenus calet*: 2) deinde foetus *eximie pallet* & *emortuali* colore conspicuus est, siquidem aliàs color naturalis *totus immutatus* comparet, dum vel ex *flavo pallidus*, aut *lividus*, aut *nigricans*, aut *maculis* magnis *atris* conspicuus est: 3) neque ullus in eodem observatur *rigor emortualis*, sed potius aut corporis *laxitas*, aut *cutis ariditas* rugosa, aut *colliquatio*, ut superficies sponte dehiscat & secedat: *vid. Ammannus l. c.* 4) quidquod in tali foetu *initia* aut *majores* progressus *actualis putredinis* conspiciuntur, quae corruptio 5) cum magno *foetore* & emanatione *liquoris* turbulenti lividi, *flavescentis* aut *nigricantis* tam e *corpusculo* embryonis, quam *utero* matris conjuncta est: 6) *abdomen* foetus eximie est *collapsum* 7) *oculi tumidi* & colliquescentes existunt, 8) *funiculus*

umbi-

umbilicalis, valde corruptus, qui alias *brevi* poſt obitum fœtus *flaccidus*, valde *mollis*, *liveſcens*, *flaveſcens*, *putridus*, *lacerabilis*, in deliqueſcentiam pronus exiſtit; [quamvis talis funiculus etiam per aliquot dies libero aëri expoſitus, talem mutatam & ſuſpectam qualitatem aſſumere queat *conf. Valentini l.c.*] dum in ſtatu naturali, *ſucculentus*, *candidus*, *firmus*, *pellucidus*, bene membranoſus & cohærens eſt, qualia ſigna teſtantur *Bohnius diſſ. de Infantic. Ammannus Prax. Vuln. lethal. dec. 6. hiſt. 8. Valentini Pand. Med. Leg. Part. 2. Sect. 7. caſ. 22. in reſponſ. Vaterus l.c. thes. XI. Zittmannus Med. Crit. Cent. 4. caſ. 35. p. 914.*; quo loco ſeorſim ex *Mauriceau* ad explorandam vitam in fœtu addimus, quando *obſtetrices*, dum viſitant parturientes, in *funiculo umbilicali*, aut *manu* fœtus *nullum* amplius *pulſum arteriarum* ſentiunt, tunc *mortuum* eſſe fœtum indicant: *vid. idem author* in ſchwangerer und greiſtenden Weibs-Perſonen allerbeſte Hülfs-Mittel *P. 2. c. 12. p. 326. 327.* 9) quando in *facie* fœtus nulla *diſtincta lineamenta* obſervari poſſunt, 10) cœteroquin totum corpuſculum ob nimiam *flacciditatem* collabitur, de quo dicunt, es ſey zuſammen gefallen und gelegen wie ein alter Lappen: conſpicitur 11) deformis *hiatus oris* cum *fœtidiſſima* exhalatione, 12) diſtinctus *major putredinis* gradus circa *umbilicum*, in *abdominis* regione & partibus *genitalibus*, præcipue *maſculorum*: Quando vero *proximius* circa partum, aut *ſub ipſo* embryo mortuus eſt, tunc ſequentia annotanda ſunt indicia; 1] Si in *diverſis* corporis regionibus variæ *maculæ* conſpiciuntur, velut *vibices emortuales* Todten-Flecken: 2] Si *fontanella* embryonis *flaccida* & valde *collapſa* eſt, ut *Ett-*

müllerus annotavit, 3] Si *cutis* fœtus mollis, *flaccida* & mediocriter *tumida* eſt, *vid. Mauriceau, Ettmüllerus, Ammannus* 4] ſi ſupremi capitis *cuticulæ diſſolutio* obſervatur, quod pro *certiſſimo* mortui fœtus ſigno tradidit *Deventer in obſervat. Chirurg. quibus manifeſtatur artis obſtetricandi lumen cap. 32. conf. A. E. L. An. 1701. Menſ. Junii p. 284.* conf. *Mauriceau,* 5] quando *ſuturæ* valde *ſeparatæ* ſunt, licet fœtus congruam *magnitudinem* corporis poſſideat: *vid. Mauriceau,* 6] membrana reliqua *capitis* fœtus valde *laxa*, *vid. Barbette, Mauriceau:* 7] *defectus rigoris emortualis* & potius præſentia *flacciditatis* corporis: 8] *genitalium inflatio* & *livor*, celerior etiam *corruptio:* 9] an defectus *ſpumæ circa os* & *in ore* adſit, dum ex ipſius præſentia aliqui *vitam* fœtus *extra uterum* colligere volunt, ſiquidem nonnulli ad *ſuffocationem* infantis ex hac ſpuma concludunt, conf. *Vaterus l. c. Schurigii Sialogia p. 385. ſeq.* quamvis *multi* nati infantes, qui *vita aliquandiu* inſtructi fuerant, *moriantur*, in quibus *non æque* ſpuma in ore obſervatur: ut propterea hoc ſignum cum *judicio* conferri debeat: 10] *Philipp. Peu in Praxi ſubveniendi paturientibus* dicit: *certiſſimum vitæ, fœtus in utero ſignum eſt, ſi digito immiſſo in os, ſuctionem affectet infans, quod in parturientibus experiri liceat:* unde in *defectu* hujus aut ad valde *debilem* aut *mortuum* fœtum concludere licebit, *conf. A. E. L. Suppl. 2. p. 471. conf. Mauriceau* ſchwang. und greiſt. *Part. 2. c. 12. p. 327.* 11] Si *funiculus* colore prædicto modo mutatus, *ante fœtus* excluſionem *ex utero* prolabitur. *Volter. loc. cit. p. 41. Mauriceau* ſchwang. und greiſt. *Part. 2. c. 12. p. 327.*

§. VII.

§. VII.

Annumeramus hiſce ſignis 12] juxta obſervationem *Mauriceau*, quando cum digito foetui in utero *aperitur os* & fœtus hoc non denuo claudit, tunc mortuum illum eſſe hic author judicat, licet etiam idem in valde *imbecillo* embryone contingere queat: idem judicandum eſt 13] ſecundum illud indicium, quod *Waldſchmied* profert, quando ab obſtetrice in *arteriis* capitis *nullus pulſus* amplius percipi poteſt: *vid. Volter l. c. p. 41. Mauriceau* ſchwang. Hülfs M. *P. 2. c. 12. p. 327.* 14] porro *Mauriceau in aph. 163.* dicit: *embryo in utero mortuus intra biduum aut triduum, majorem magisque fœtidam corruptionem aſſumit, quando aqua effluxit, ac alias, ſi aqua retenta fuit, in toto Menſe non contingit.* 15] & porro *in aphor. 164. quando caput fœtus diutius in orificio uteri hæret & proximæ partes haud intumeſcunt familiare fœtus mortui ſignum eſt:* 16] quando in fœtu *anus* etiam *biat:* 17] ſi in *aperto* ejus corpore in aliquo viſcere ſingularis *morboſa* afflictio conſpicitur, unde facile judicare licet, quod ob illam embryo vita privari potuerit: 18] Si *pulmones* fœtus *denſi*, *rubicundi* & *graves* ac *compacti* obſervantur *vid. Vaterus l. c. theſ. 12.* ſignum eſt, quod fœtus *nondum reſpiraverit*, adeoque mortuus ſit: *conf.* tamen de hoc ſigno *Bohnius in diſp. de infanticidio & in Examin. Vuln. lethal. in app. P. 171. 172.* 19] hiſce ſignis quidam annumerant, quando *ante* partum *Mæconium* ex utero elabitur, quod *multi* Medici allegant, ut *Mauriceau*, *Waldſchmied*, *Dolæus l. c. Solingen. in Embryulcia*, *Verduc. in operat. chirurg. Volter. l. c. p. 42. Ettmüllerus l. c. Schurigius in Chylologia p. 859. ſeqq.* quamvis *Mauriceau*, *Rulandus in theſ. p. 300.* ex hoc *Ettmüllerus*,

Petermannus in Caſ. med. legalb. dec. 1. caſ. 7. & ex hoc *Schurigius exceptiones* quasdam contra *abſoluta* hujus indicii veritatem proferant, ut propterea & medici & judices in inquiſitionibus, conciliationibus & deciſionibus ſuis *prudenter* verſari debeant, ne in *uno*, aut nude *ambiguis* acquieſcant ſignis, ſed ſigna *inter ſe* & *ex ſe* invicem illuſtrent atque *confirment:* etenim *mœconii excretio* a fœtu etiam *debili*, aut ſub *difficili* partu, dum embryo multas *compreſſiones* patitur, contingere poteſt: & ut prædicti authores allegant, etiam *actu* evenire ſolet: 20] Si experimentum cum *pulmonibus* inſtitutum, ſecundum cautelas & animadverſiones, quas *Dn. D. Præſes in Jurisprud. Med. Tom. I. Part. 1. cap. 9. ſ. 5. & in diſput. de Pulmonum ſubſidentium experimenti prudenti applicatione*, indicavit, cum reliquis circumſtantiis congruit: 21] ſi *cito oculi profundius* concidunt & in *corruptionem* abeunt, qui, velut aliæ valde *teneræ* partes *putredine* corripiuntur, adeoque citius *ſingularem* immutationem conſpectui præbent 22] ſi fœtui in *utero* digitus *intra os* immittitur & lingua ejus *nihil ſponte* movetur. *vid. Mauriceau* ſchwang. und greiſt. Hülfs Mittel *P. 2. c. 12. p. 327.* omnes haſce magno numero allegatas circumſtantias & multiplicia talia indicia prudens medicus ſollicite & *judicioſe conferre* debet, ita ex *multitudine* illorum facile inclareſcet, *quorſum* plurima illorum ſignorum inclinent: imo exinde facile aliæ *ambiguitates* & difficultates, in *nonnullis* horum ſignorum obviæ, diſſolvi & enucleari poterunt: Proinde etiam peritus & circumſpectus medicus ſingulas illas cauſas etiam cum quolibet caſu ſubſtrato conciliabit, quæ dubium quoddam movere poterunt, ſervata tamen illa prudentia, ne *ſuſpectis* fæminis illæ manifeſtentur, velut hactenus

nus brevi tantum annotatione quasdam harum *exceptionum* propoſuimus, ne videlicet indiſcretum formetur judicium, quod v. g. de *funiculo* umbilicali, *ſpuma* ante os, *mæconio* excreto, *profluvio* ex utero *fœtido* &c. monitum fuit: Deinde circumſpectus medicus *illas cautelas* obſervet, quo in corpore fœtus *ſigna talia majori* cura inquirat, quæ *ambiguitatem* involvunt, v. g. *unde maculæ*, ſtigmata, vibices in corpuſculo embryonis nata ſint, an a *putredine*, an a *violentia*, illata? ut concurrentes *alias læſiones* rite obſervet, diſcernat & perſpicue indicet! ut probe exploret, quæ mutatio a *morboſa* cauſa & quæ a *violenta* & *malitioſa* manu provenerit! ut *ſtatum naturalem* fæminæ, quæ peperit, percontetur & ex illius *conciliatione* dijudicet, an *mortuus* an *vivus*, fœtus in lucem editus ſit: v. g. ſi fæmina *ante* & *poſt* partum *ſana* fuit, mox *ſuſpecta* & *mortui* nati fœtus denuntiatio &c.

§. VIII.

Præter hæc ſigna in dijudicando fœtu mortuo Medici & Judices civiles exquirere debent, an *ſuſpectæ* fæminæ, quæ *mortuum* fœtum peperiſſe aſſerunt, fide dignas *cauſas* indicare ſciant, ob quas fœtus in utero vita privari potuerit; proinde etiam in haſce cauſas *denuo* inquirere convenit, an *ſatis efficaces* & *veræ*, exiſtant; ita enim *commune* talium fæminarum *refugium* eſt, 1) quod *gravem lapſum* perpeſſæ fuerint, ubi inquirendum eſt, an ille lapſus etiam comparative *gravis* fuerit, an cum magna *contuſione* abdominis & lumborum, cum violenta & vehementi *compreſſione* ventris & conjuncto eximio *terrore* contigerit: an in *ventre* fæminæ *ſuggillationes*, ut

&

& in corpuſculo *embryonis maculæ* lividæ compareant; an *mox poſt* talem lapſum fæminæ *ominoſas paſſiones* in *ventre* ſentiant, an *profluvium ſanguinis* ſuperveniat, qualis ſtatus in *animo* fæminæ fuerit, an magnus *angor*, illum occupaverit; quomodo ante & *poſt* lapſum *fœtus* ſe habuerit, an *diu* aut *brevi* poſt talem lapſum *ſuſpecta* alteratio *fœtus* obſervata fuerit & *partus* ſucceſſerit, an fæmina *tenerioris* conſtitutionis ſit, ut lapſius etiam *mediocris* talem alterationem cauſari potuerit: 2) ita aliæ provocant ad *gravium* & ponderoſorum corporum *geſtationem*, ſublationem, heben, tragen, vor ſich ſchieben, unde etiam *vim* quandam, *fœtui nocivam*, ſubiiſſe, quædam commemorant; in quo ſtatu annotandus etiam eſt terminus *intra* talem fatalem *lapſum* aut geſtationem & actualem *partum*, ut *ex fœtu* deinde veritas magis erui queat: huc pertinent 3) *ſuſpectæ Hæmorrhagiæ*, quæ *ſub graviditate* obtigerunt; ubi porro inquirendum, *unde* illæ provocatæ fuerint? *quando* inchoaverint? *quamdiu* duraverint? qua *quantitate* ſucceſſerint? quomodo *ſub* illis & *poſt* easdem ſe gravidæ & fœtus geſſerint? *quales* ab iisdem *alterationes* obſervatæ ſint? an illæ *hæmorrhagiæ* & indicatæ *alterationes veræ* an *ſimulatæ* ſint? &c. 4) ratio etiam habenda eſt ſtatus *urgentis plethorici*, *vid. Stahlius l. c. p. 15.* unde non raro fœtus ad *abortum* diſponitur, aut aliquando *quaſi* ſuffocatur (uti *Rod. a Caſtro* loquitur & cum eodem *Sennertus* & *Muſitanus*) vel nimium oneratur & *oppletur*, ut lethifera ſanguinis *ſtaſis* in *tenero* embryonis corpuſculo oriatur, hinc facile *corruptio* ſupervenit, imo ſubito increbeſcit: 5) tanto magis vero fœtus vita *privatur*, ſi præſente tali *morbifica* ſanguinis plenitudine

nitudine, *fortiores* corporis *commotiones*, *saltationes*, (*conf.* *Welschii* Heb-Ammen-Buch *Part.* 1. *c.* 9. *p.* 201. *Part.* 2. *c.* 10. *p.* 376. ſicut alias *ſaltatio* in *uterum* & *negotia* illico perficienda, varias *perverſas* qualitates transfert: *conf.* *Riedlinus Lin. Med. An.* 2. *p.* 321. *obſ.* X. ſub tit. *ſaltatio menſes intempeſtive movet*) aut difficiles & periculoſæ *peregrinationes*, cum multis corporis *concuſſionibus* ſuſcipiuntur: 6) obſervanda etiam eſt *diuturna* gravidarum *fames*, aut ob *appetitus* defectum, aut ob penuriam & *pauperiem*, orta, ubi aliquando inquirendum eſt, an non malitioſæ fæminæ ex *inſtituto* & deliberato animo *parum* commederint, ut fœtus ob alimenti *defectum* in utero perire debeat: quemadmodum interdum honeſtæ fæminæ *parcius alimentoſa* ingerunt, ne fœtus ipſorum *grandior* evadat & *difficilem* partum excitet: 7) inquirendum etiam eſt, an fæminæ *valde teneræ* & *debiles* ſint; *conf.* *Stahlius l. c. p.* 15. ut *propter* hanc imbecillitatem officio ſuo in hoc negotio geſtationis *rite* fungi *nequeant*, adeoque vitæ fœtus *ſufficienter* proſpicere *haud* valeant; quare tales fæminæ aut facile *abortiunt*, aut *iterata* vice *mortuum* fœtum pariunt, aut ad legitimum & *ordinarium* terminum illum haud geſtant: 8) annotandum porro eſt, an fæminæ *valetudinariæ* ſint, *vid. Stahlius l. c. p.* 15. aut ſub *graviditate arduum* & periculoſum, maxime *acutum*, morbum perpeſſæ ſint, an vehementes *ſpasmi*, aut plane enormes & *iteratæ convulſiones* illas affecerint, qui affectus cum *reliquo* ſtatu naturali fæminarum perite conciliandi ſunt, an videlicet *animo* & *corpore* valde *teneræ* & *ſenſibiles* an *plethoricæ*, an *ſpiſſo* ſanguine præditæ &c. ſint: quales ſontici *morbi* & morbificæ *cauſæ* facile ad fœ-

tus *interitum* contribuere ſolent: 9) advertendus inſuper eſt ſtatus *animi*; etenim ſi hic multis *afflictionibus*, curis, ærumnis, ſollicitudine, triſtitia, terrore, ira, &c. *turbatur*, facile exinde fœtus *detrimentum* ſuſcipit; aſt in hac circumſtantia iterum *prudentia* opus eſt, quoniam *tranſitoria* talia pathemata haud ſtatim *ſimilem* effectum habent, neque etiam fæminæ, *talibus* animi affectibus *adſuetæ*, inde diſpendium *vitæ* in *fœtu* ſuo experiuntur.

§. IX.

Proinde etiam 10) inquirere convenit, an fæmina *ſub graviditatis* ſtatu *fortiora* remedia adhibuerit, quæ non modo *corpus* gravidæ valde commovent & *offendunt*, ſed & una ipſum *fœtum ægre* afficiunt, imo plane ad *mortem* diſponunt, velut ſunt potentia *purgantia*, nec non *vomitoria*, quæ ſicut ad *abortum* excitandum quadrant, ita etiam ſæpe fœtum *mortificant*: ſimilem efficaciam habent remedia 11) *menſes urgentia* & pellentia, quæ *malitioſæ* quædam fæminæ ad *abortum* provocandum ingerunt, qui ſi *haud* conſequitur, tamen illa medicamina ad *fœtus interitum* contribuunt; ſicut alia remedia *valde calefacientia* in ſubjectis *teneris*, valde *plethoricis*, in prodiga *cruenta uteri* profluvia pronis, æqualem efficaciam habent, ut ſanguis cum multo *orgaſmo* & *pleniori* copia intra fœtum affluens, hunc *velut* ſuffocet, adeoque interficiat, quem obitus *modum* ſubito *impetuoſa* & fœtida *corruptio* excipit: hinc *Vidus Vidius l. cit.* talibus remediis plane annumerat *caſtoreum*, *myrrham*, *ſabinam*, *aſam*, *fœtidam*; quæ priora, *incongruis* ſubjectis adhibita, æque *perverſos* & *nocivos* effectus edere ſolent: idem efficiunt

Bals.

Balſ. ſulph. Elix. P. P. in *ſimilibus* ſubjectis adhibita: 12) obſervationem pariter meretur, an fœtus in utero *morbo* laboraverit, id quod ex *variis* indiciis inclareſcit, ſicut in prædictis monitum fuit, quo *viſcera* embryonis indagari debeant, an in iisdem *labes* quædam, tanquam *cauſa mortis* conſpicua ſit, præcipue vero annotationem meretur 13) an embryo gravioribus *convulſionibus* in utero laboraverit, ut propter illas vita orbatus fuerit; ſicut non raro vehementes *terrores gravidarum* ad tales *convulſiones*, conſequentes *abortus*, aut fœtum *mortuum* diſponunt, *conf. A. N. C. Vol. 1. obſ. 3. Gravida tonitru perculſa edit fœtum mortuum, membris convulſis rigidisque:* 14) præcipue etiam convenit obſervare an forte *fœtus* in *utero* cum *funiculo* umbilicali in *collo* circumductus fuerit, unde progreſſus ſanguinis *per caput* valde *impeditus* fuit, ut propterea fœtus in utero vita *privatus* fuerit: hinc in *capite* & *collo* veſtigia aliquando *ſufflaminati* progresſus ſanguinis, ni *putredo* magna intervenerit, conſpici poſſunt: 15) præterea indagandum erit, an partus *diuturnus* & valde *difficilis* præceſſerit, ubi fœtus aliquando *in portu naufragium patitur*, ut *Stahlius* loquitur *l. c. p. 14.* ex quo fœtus *antea vivus*, mortem ſubire potuit; ubi tamen iterum *cautela* illa obſervanda, ne judices in *nuda partus difficilis accuſatione*, a fæmina *ſuſpecta* facta, acquieſcant, ſed quo de *veritate* ipſius ſe *certos* reddant, inſuperque inquirant, an non ipſæ fæminæ *mala* intentione, *variis* modis & mediis ſibi partum *difficilem* reddiderint, ut propterea fœtus *extinctus* fuerit, hinc in *tali* caſu ſimul in *corpuſculo* embryonis obſervare convenit, an *ſuſpectæ* quædam maculæ in eodem compareant: talibus

 veſti-

vestigiis itaque judices in ulteriori inquisitione sollicita cura insistere & niti debent: 16) inquirendum porro erit, an fæmina suspecta frequenti & immoderata *crapula* se oneraverit (quam circumstantiam *Vidus Vidius* etiam annotat) præcipue quando *larga spiritus ardentis* ingestione se *enervarunt*, unde fœtui magnum *detrimentum* accidit; quo pariter spectat, si *sceleratæ* fæminæ *multa* tali *intemperantia* & conjuncta *immoderata saltatione* & *suo* corpori & *fœtui* variam intulerunt *afflictionem*, quæ & *gravidæ* & *fœtui* arduos morbos causari solet, qui dein ad diversas *pravas* consecutiones & ipsam embryonis *mortem* contribuunt: 17) *immodica* & cum eximia corporis ac *sanguinis* frequenti *exæstuatione* & ebullitione contingens *venerea* exercitatio æque fœtui *inimica* & interdum *lethifera* est; maxime si cum vehementi ventris *concussione* & *compressione* succedit: 18) inter alios morbos, *sub graviditate* evenientes & *fœtui* infensos, præcipue magnus & immodieus *fluor albus*, ut & *uteri inflammatio*, iteratus conatus *abortiendi*, aut *impetuosum* molimen ad *abortum* tendens, recenseri debent; qui morbi perinde *fœtui* valde *inimici* sunt: 19) nonnunquam *mola*, quæ præter *embryonem* in utero gestatur, dum huic necessarium *alimentum* subtrahit & in *suum* usum convertit, ad fœtus *interitum* contribuit: 20) ita etiam *gemelli* partim *sub gestatione*, partim *sub partu* ad propriæ vitæ privationem disponunt, quando aut *difficilis* est partus, aut variæ ex *prædictis* circumstantiis coincidunt, quæ deinde in *gemellorum* gestatione duplicem sinistram & præjudiciosam efficaciam habent: Et hæ *nonnullæ causæ* sunt, quibus adhuc aliæ addi possunt, quæ fœtum *mortuum*

tuum provocare ſolent, ad quas etiam in *hujus* fœtus disquiſitione & deciſione *Medici* & *JCti* aſſidue advertere, illasque *conciliare* debent; inde *facilius veritas* erui poterit.

§. X.

Hiſce cauſis & circumſtantiis hactenus recenſitis annumeramus 21) quando gravida *præter modum* ac conſuetudinem *pingueſcit*, dum alias familiarius magis *emaciantur*, ſiquidem alimentum ſub hoc ſtatu *plus* in *embryonis* uſum impenditur, unde ſub majori *illius* accremento, *gravidæ* magis *decreſcunt:* ſi vero *contrarium* contingit, tunc natura *matris fœtui* ſuo *neceſſarium* alimentum *ſubtrahit*, qui propterea *gracilis* & *debilis* manet, facileque vita *privatur;* hinc fœtus ex *hac* ratione extinctus admodum *exiguus*, gracilis & imperfectus conſpicitur: 22) interdum malitioſæ fæminæ fœtum *in utero* mortificant, *externa* violenta & vehementi *abdominis* compreſſione, deliberato inſtituto perpetrata, unde *unà embryoni* vis infertur; quare poſtea in nato *fœtu*, nec non in *ventre* fæminæ *extrinſecus maculæ*, ſuggillationes & veſtigia *violentiæ* illatæ apparent, quales maculæ *certum* teſtimonium perhibent, quod *antea* fœtus *vita* præditus fuerit, dum ſanguis in ejus corpuſculo *circuitum* ſuum ſervavit, per illatam talem contuſionem & compreſſionem vero *ſtagnationem* & actualem *ſtaſin* ſuſcepit: 23) quandoque *ſub* partu fœtui *adhuc vivo* vis infertur, ut *ante plenariam* excluſionem vitam amittat & *malitioſæ* fæminæ etiam *præſentibus aliis* fæminis fœtum *mortuum* pariant & ad hunc acerrime, contumaciter & audacter provocent, quem tamen per *retardatum* partum *jugula-*

runt, aut per *compreſſionem* arctam femorum, quando embryo modo cum capite *orificium* uteri *egreſſus* eſt, enecarunt; in quo caſu *varia veſtigia* illatæ *violentiæ* conſpici poſſunt, quæ ita *recentia* ſunt, ut facile de *vita fœtus* teſtari queant: ſiquidem talis fœtus adhuc corpore *calidus* deprehenditur; inde medici & judices anſam inquirendi recuperant, ob quam cauſam fœtus *brevi ante* partum, aut *ſub* hoc, vita deſtitutus fuerit: aliquando ſceleratæ fæminæ *alio* modo fœtum in *vagina* adhuc hærentem occidunt, dum *violentas* ipſi inferunt manus, *comprimendo* videlicet *oſſa bregmatis*, adeoque in nobili *cerebri* parte *ſubitaneam* & *lethalem* ſanguinis *ſtagnationem* & *ſtaſin* excitando, in quo caſu quidem malitioſæ tales fæminæ *mortuum* quidem *pariunt* fœtum, in quo tamen *extrinſecus* in *cute* cranii *veſtigia digitorum* maculis rubris & lividis, *intrinſecus* etiam alia *aperta* perpetratæ *violentiæ* obſervari & demonſtrari poſſunt indicia, quæ interdum ita *recentia* ſunt, ut de *vita* fœtus, haud ita longius abſente, *firmum* judicium & deciſum formari poſſit: *conf. Dn. D. Præſidis Jurispr. Med. Tomus Alter. caſ. 19.* 24) nonnunquam gravidæ ob inconſuetos *duros labores* (*vid. Ammanni Med. Critic. p. 547.*) modo *cum* intentione, modo *citra* hanc, ad *mortem* fœtus contribuunt, quando illæ præcipue *tenerioris*, aut ad minimum haud *proportionatæ* conſtitutionis fuerunt, ſub quibus negotiis & laboribus minus circumſpecte varia corporis, præcipue *lumborum flexione* & *incurvatione*, inclinatione & conjuncta gravi & ſuſpecta *compreſſione*, aliisque *incongruis* modis, fœtui *vim* inferunt: hinc tales *ardui* labores & *incongruæ* corporis commotiones in multis aliis fæminis *abortum*

cauſari

causari solent: 25) præstat etiam in nonnullis *fœminis explorare* & observare an illæ a *talibus* matribus natæ sint, quæ varias *mensium anomalias* passæ sunt, quæ aliquoties *abortum* subierunt, aut similiter *mortuos* fœtus pepererunt, ubi indagandum erit *judiciosa* conciliatione circumstantiarum, an in *suspecta* nunc fæmina ratio & consideratio *hæreditariæ* communicationis, *similis* qualitatis, ineunda & habenda sit: 26) peculiarem pariter annotationem, meretur, an *gravidæ* in perpessis *morbis*, *medicis* auxiliis *rite* tractatæ fuerint & an non *incongrua* medicamina, fortius sanguinem *commoventia*, potentius *evacuantia*, suspecta *adstringentia* &c. ad *interitum* fœtus contribuerint; quo præcipue pertinent *perversæ Febrium* curationes in *gravidis*, aut *incongruus Corticis Chin-Chinæ* usus in intermittentibus, non obstante illo testimonio, quod *Mauriceau in observ. 272. circa graviditatem & partum (vid. A. E. L. An. 1695. Mens. Januar. p. 42.)* annotaverit, *gravidas Cort. Chin-Chinæ a febre liberatas interdum fuisse*: 27) consideratio *imaginationis* in gravidis non prætereunda est, uti etiam *Exc. D. D. Stahlius l. c. p. 15.* observat: sicut etiam hæc in *deformando* fœtu multum valet, ita in *destruendo* illo, aut ejus *mortem* promovendo *non parum* contribuit: *magna* enim illius *vis* est in gravidis, ut *communi* consensu conceditur: quare *animo* valde *sensibilibus* & in *imaginationis* actu valde operosis gravidis, non facile conceditur, ut cum *defunctis* & *cadaveribus* humanis commercia habeant: unde in historia medica exempla prostant, ubi fæminæ, quæ semel *mortuum* pepererunt partum, proxima vice *gravidæ* factæ, cum *metu* & *angore* de novo *mortui* fœtus partu sollicitæ & afflictæ fuerunt, quæ etiam porro iterum *ta-*

lem

lem vita privatum embryonem excluſerunt. 28) inquirendum inſuper eſt, quomodo *ſub graviditate* in fœminis ſtatus *ſanitatis* comparatus fuerit: *vid. Mauriceau* **der ſchwangern und greiſtenden Weibs Perſonen allerbeſte Hülffs-Leiſtung** *Part. 2. c. 12. p. 326.* Hæc eximia ſignorum congeries attentos & prudentes ſententionantes *non in dubio* relinquet, ſed multas ambiguitates & difficultates enodabit, quo juſtum, verum, certum & manifeſtum judicium ferre queant: quamobrem *præcipuum* noſtrum in præſenti labore fuit inſtitutum ut ſingula momenta & ſigna annotemus & præcipuas animadverſiones & ambiguitates ſignificemus.

§. XI.

Quo porro *mortui* fœtus cognitio & dijudicatio *firmiori* nitatur fundamento, neceſſe etiam eſt, ut diverſi & ex hiſce *intricati* & *ſubtiles* modi *infanticidiorum* cogniti ſint, quo ex iisdem ſub inſpectione *conciliatio* cum fœtu, de cujus morte *naturali* & *violenta* ambigitur & deliberatur & applicatio ad eundem inſtitui queat; ita enim v. g. in *temporibus*, *fontanella*, *occipite*, *nucha*, *ſubtiles* violentiæ committi poſſunt, nec non *narium* & *oris* conſtrictione & oppreſſione, *ſulphuris* accenſi oblatione *ante nares* &c. ſuffocatio & extinctio perſici poteſt; quæ ſigna *curatius* annotanda & cum *quolibet* caſu conferenda ſunt: & ſi quædam notabili *ambiguitate* & *difficultate* laborant, tunc ex tota hactenus commemoratorum ſignorum ſerie & congerie *pluralitas* probationum & argumentorum, pro veritate & *certitudine mortis* embryonis *naturalis* aut *violentæ*, militantium obſervari debet, unde audacibus *ſuſpectarum* fæminarum negationibus & *fallacibus* & cum

crimi-

crinibus corrasis lepidarum *nonnullarum* defensionum momentis medici & judices conscientiosi resistere & intentatas tales non argutias, sed *fallacias* discutere & refellere poterunt; quid quod optandum esset, ut nonnulli scioli defensores *prius* signa talia prudenter *perspecta* habeant, ne *Rabularum* more, quicquid in buccam venit, impudenter & imprudenter eructent, fingant, adserant, supponant & deblaterent: imo deploranda res est, quod *nonnulli* defensorum in fœtus mortui casu stupenda *fingere* & *supponere*, omnes *favorabiles* casus *promiscue* in *suam* rem trahere & *medica* quædam adserta *indiscretim* plenis manibus arripere haud erubescant, quæ tamen præsenti casui *minime* respondent, aut quadrant; quamobrem in *arduis* ejusmodi casibus omnem lapidem movere convenit, quo *falsa* refugia præcludantur: proinde etiam in ejusmodi causis & casibus *magni* momenti, præstat certitudini & evidentiæ *demonstrativæ*, haud vero *præsumptivæ* inhærere & fidem dare, quoniam præsumptiones, pro *diversitate* capitum & *sensuum*, subinde etiam *opinionum* plurima ex parte *fallaces*, aut ancipites, dubiæ aut plane *falsæ* sunt: Præterea vero inspectio fœtus *controversi* haud *retardanda*, sed mox *post* partum suscipienda est, quoniam *variæ* causæ & circumstantiæ, partim a *fœtu* ipso nato, partim a causis *extraneis*, inter quas præcipue *anni tempora* & *tempestates* annotari merentur, proveniunt, quæ *accidentalem* alterationem in corpore *embryonis* provocant, ex cujus minus attenta & *distincta* animadversione facile *erroneum* judicium ortum trahere potest: Deinde in *dubio* statu non modo *externum* corpusculi fœtus ambitum inspicere convenit, sed etiam *internam* constitutionem explorare expedit, an forte exin causæ *morbi* & *mortis* fœtus in *utero* manifestæ evadant: quamobrem *accurata Sectio* & plena ac *sufficiens relatio* nunquam negligenda, ni

F *negli-*

negligentiæ magnæ ſpecimen inde inclareſcat: etenim neglectis illis neceſſariis requiſitis non modo *medici* & *civiles* judices, *nihil certi* definire & decidere poſſunt, ut plurimum judicia ſua *ſuſpendere*, aut in *ambiguo* formare & ferre debent; ſed & *ſuſpectæ* fæminæ cum ſuis *minus conſcientioſis* defenſoribus *varia refugia* inveniunt, ſub quibus *protectoria* inquirunt, donec interdum per *aliud* medium eruendi *veritatem*, videlicet per *Torturam veritas facti* eliciatur: caveant propterea ipſi *Medici*, ne *aliis* anſam præbeant, quo *obſtacula* & latebras quærant; ubi etiam minime negandum eſt, quod aliquando *culpa difficulter* formandæ dijudicationis, in *medico* imperito & negligenti hæreat, ubi defectus nonnullarum *ſcitu* perquam *neceſſariarum* circumſtantiarum indicari & in rebus *dubiis* & *ambiguis* interdum mitior & *benignior* ſententia ſeligi debet: neque etiam in corpuſculo fœtus, modo *terræ* mandato, iterumque *effoſſo* aliquid *veri certive* facile & *ſecure* decernere licet, ni hæc effoſſio brevi intervallo *poſt partum* contigerit: imo *circumſpectio* habenda eſt in *judicando*, quando natus embryo in loca *impura, ſqualida, calida, calido-humida* translatus, ibidemque occultatus fuit, aut ſi poſt partum ex *negligenti* tractatione fœtus *mortui* corpuſculo læſiones quædam, adeoque ex *accidenti* illatæ fuere; quas ſingulas & *forte plures* alias *cautelas*, quales pro coronide commemorare & commendare voluimus, in deciſione *mortis* & *mortui* Fœtus obſervare convenit: Sed nunc præſenti tractationi exitum ſtruimus: DEO benigniſſimo devotiſſimas gratias agentes, quod almo ſuo auxilio in deductione & explicatione hujus thematis nobis adeſſe voluerit, quem humillime rogamus, ut efficiat, quo huic præſenti labori & reliquis noſtris propoſitis exoptatus atque proſper affulgeat.

F I N I S.



SI nunquam Medicos Vulgata resurgere tradit.
Huic ego non arti deditus esse velim.
Aut certe nunquam jucunda excedere Vita
Aut in Ventre mori dulcius esse putem.

Hæc prospera quæque apprecans adjecit

J. A. BRACH,
Mosellanus.

Εισι καλα υμιν παραδειγματι εργα μελισσων
Ναιεταουσων εν σμηνεσσι κατηρεφεεσσιν:
Ουτως αμμιν αει Καιρου τηρεισθαι αφορμην
Συμφερει εν καιρω, ινα, καν ποτε εστιν αναγκη
Των απολαυσωμεθ' ορθως, μετεπειτα εχοιμεν.

omnem felicitatem adprecatus posuit

GEORG. CLEM. KOESTER,
Wallerth. Palat. Theol. C.

DA Du geehrter Freund, als Doctor wirst geziehret,
Und heut Hygea Dich in ihren Tempel führet,
So ruff ich wünschend aus: Es müsse Wohlergehn
In Praxi jederzeit zu deiner Seite stehen.

Dieses schrieb seinem wehrthesten Freund und Hochgeschätzten Landsmann schuldigst zu gratuliren.

H. J. FUCHS.

Alf Blüthe folgt die Frucht auf Arbeit komt der Lohn;
Die Ernde folgt der Saat, eh ein Palast kan stehen
Wird erst der Grund gelegt, gantz Halle hat gesehen,
Wie Du Dir selbst zum Crantz die Palmen zugetragen
Drum wird gantz Creutzenach von Deinen Lobe sagen.

Hiermit gratuliret den Herrn
Candidato

C. H. FUCHS.

DUm docto monstras ex FOETU dogmata Stilo,
Hoc ipso stilo practicus esse potes.
Gratulor hinc artem non delituisse peritam
Fonte Machaonio, dum mera vina bibis.

in Tesseram non fucatæ amicitiæ adposuit

CHRIST. TRAPP,
Heidelb. Palat. LL. C.

NOmen & omen habes, agitans cum VULTURE FOETUM
Practicus ex praxi nomen & omen habes.

De Solida artis Apollineæ eruditione gratulabundus posuit

JOH. HERRMANN FABER,
Lauterecca-Palat. LL. C.

E un segno d' allegrezza
Il monstrar la saviezza
Mista colle Lettere.
Questo hai tu voluto
O Amico! e potuto
Qui in carta mettere.

Mò Iltrè Signore, questa hà apposto alla di Lei memoria

P. C. L. KOESTER,
Wallerth. Palat. LL. C.